

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Concilium Nicaeae cogendum imperauerat. Cap. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

Quomodo Concilium Nicæa cogendum imperauerat.

CAP. VI.

**D**Eincepis igitur concilium generale, tanquam quendam dei exercitū instruens, in unum locum coegerit: & Episcopos vndeque per literas honorifice scriptas, ut eō maturarent, acciuit. Neque mandatum duntaxat erat ad hanc rem datum, sed in ea peragenda multum attulit subsidiū authoritas imperatoris ac nutus: qui nonnullis fecit potestatem, equis publicē ad iter celeriter conficiendum dispositis utendi: aliis permagnū iumentorum instrutorum, quibus veherentur, numerum suppeditauit. Ciuitas autem Bythiniæ, quæ Nicæa anno T̄HS VIKHS id est à victoria nomen traxit, concilio celebrando admodum idonea, designata fuit. Vbi autem edictum in quaque prouincia diuulgatum erat, omnes summa cum animorum alacritate, tanquam è carcerebus ad cursum emissi, properè aduolarunt. Nam bonorum spes ipsorum mentibus iniecta, vel potius pacis fruendæ potestas, & noui ac peregrini cuiusdam miraculi spectaculum, quod in tanti imperatoris vultu ostendebatur, eos allexit plurimum. Postquam autem omnes in unum conuenerunt, opus illud diuinaprouidentia facilitatum, pro certo iam intellectum fuit. Nam non solum, qui animorum dissensione erant, sed etiam qui corporibus, regionibus, locis, gentibus longissime disiuncti, unum in locum aggregati sunt. Atque una ciuitas eos omnes, tanquam maximam sacerdotum coronam, ex multiplici nitidorum flosculorum varietate contextam exceperit.

*De uniuersali concilio, ad quod ex omnibus orbis partibus Episcopi confluxerunt.*

CAP. VII.

**E**X omnibus nanque ecclesiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Asia extiterunt, Dei ministri, qui facile primas ferre putabantur, in unum conuocati,